QVID CENSENDVM SIT DE HAEMORRHOIDE.

DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICA

QVAM

AVCTORITATE ET CONSENSV GRATIOSI MEDICORVM ORDINIS IN ALMA REGIA LITERARVM VNIVERSITATE FRIDERICIA GVILELMIA RHENANA

PRO GRADV DOCTORIS

SVMMISQVE IN MEDICINA, CHIRVRGIA ET ARTE OBSTETRICIA HONORIBVS, IVRIBVS ET PRIVILEGIIS RITE OBTINENDIS

SCRIPSIT ET VNA CVM THESIBVS PVBLICE DEFENDIT

DIE XII MENSIS IVLII A. MDCCCLIX

CARLOVS HAVN

RHENANVS

ADVERSARIORVM PARTES SVSCIPIENT:

IACOBVS MOLL, CAND. MED.
ARMINIVS MOLL, CAND. MED.
AVGVSTVS RHEINSTAEDTER, CAND. MED.

BONNAE

FORMIS H. B. KOENIG.

MDCCCLIX.

MATRI

OPTIMAE, DILECTISSIMAE

VSQVE AD CINERES COLENDAE

NEC NON

VIRO HVMANISSIMO

ANTONIO RITZEFELD

PRAECEPTORI ORDINIS SVPERIORIS GYMNASII MARCODVRANI

PIO GRATOQVE ANIMO

D. D. D.

AVCTOR.

Prooemium.

Per multos annos Haemorrhoidum doctrinam ita medici adhibebant, ut omnes eos morbos, quorum sedes atque causas incerta levique inquirendi ratione ducti revelare non possent, nomine quodam significarent, et etiamsi, quum in arte medicina multum profecerimus, postra etiam aetate morbo illo omnes, quicunque statim non cognoscuntur, dolores contineri putare prorsus nequimus, tamen Haemorrhoidum nomine, quo saepissime homines rudes et indocti uti solent, quam incertam eorum morborum cognitionem veteres medici habuerint et quam inane eis Haemorrhoidum nomen fuerit, in memoriam revocatur.

Quamquam vero hodie etiam nullo alio nomine, quo ea significatio removeri morbusque accuratius nominari possit, utimur, tamen illius morbi naturam luculentius perspeximus, ita ut in hac dissertatione, quae sint gravissima maximeque necessaria lectori benevolo proponere possimus.

Cap. I.

De natura Haemorrhoidis.

Graecorum medici haud ignorabant, Haemorrhoidis insigne esse proprium et peculiare, quod ex ano sanguis effluere solet et in interiore membranae mucosae superficie nodi quidam eminentes reperiuntur. Quod quum comparatur cum aliis, quibus homines afficiuntur, tumoribus, eam partem, quae nodis abundaret, intestinum rectum, morbo correptam esse putari satis perspicuum est, quamquam prioris etiam aetatis medici, omnibus eis rebus connexum indicari cum morbo quodam, quo totum corpus laboraret, certissime dicebant. — Omnium primus Stahl doloris illius originem ad certum fontem reduxit; Stahl in ipso venae portarum systemate, quod vocatur, primarium videbat ortum, quam venam malorum portam nominabat, quia per eam omnes vires nocituras e corpore amoveri putabat. Qua sententia ducti homines statum haemorrhoidalem salubre aliquid habebant, quo natura multos alios morbos ab homine detineret, unde nomen venae aureae — »gülbene Aber« — explicare possumus, quia et medici et homines vulgares eum, qui ea laborabat, beatum dicebant.

Quam rem ita se habere rati, medici quocunque modo, ut ex ea vena vires nocentes defluerent neve ullis aliis morbis homines premerentur, efficere quaerebant. Quare factum est, ut Haemorrhoidum doctrina confusa fieret et perplexa ac per longum temporis spatium obscurissima maneret, neque hodie plane et perfecte intelligi possit. —

Paucis antea annis nostraque etiam aetate Haemorrhoide qui aegrotabant, toto corpore aegrotare putabantur, quod

quidem malum universum in discrasia quadam sanguinis constaret et tamquam propinquitatis vinculo coniunctus esset cum arthritide, de qua Schoenlein ita fere iudicat:

„pathicum illud, quod in sanguine formaretur, in arthritide per arterias, in Haemorrhoide per venas removeri dicit, quare utrumque morbum duas unius generis species proponit.“

Qua quidem sententia accepta Haemorrhoides seiunctae sunt ita, ut „non abnormae“ quae vocantur, appellarentur eae, quae in sanguinis profusione certo tempore reversa consisterent, „abnorma“ autem Haemorrhoide conflictari homines dicerentur, quorum sanguis, quod non deflueret, cum materia pathica commixtus esse putabatur, unde viscera intestina multis turbationibus erant exposita — Haemorrhoides latentes. Quod si ex aliis partibus, e pulmonibus, renibus, vesica sanguis proflueret, Haemorrhoides vocabantur „vicariae“; „suppressae“, si sanguis ultro sisteret aut medicina supprimeretur, „retentae“ denique, si sanguis virium defectione aut atonia profluere non iam posset. —

Quum vero in Arthritide materia pathica in acido urico praetermodum formato luculentissime intellecta sit, in Haemorrhoide reperiri prorsus non potest. Quod ut refellant, nonnulli ne in Scrophulosi quidem neque materiam pathicam neque sanguinis discrasiam inveniri posse dicunt. — Quibus in eo morbo omnia, quae perspicere liceat, minime eam significare, verum ne illud quidem in Haemorrhoide respondemus. Quamvis ab aliis sanguinis profluvia, quae vocantur „vicaria“ eis supponerentur, tamen considerantes, eas sanguinis profusiones non minus in morbis, quibus cor afficitur, pulmones aliaque organa interiora, quam in Haemorrhoide reperiri, in qua, si quando sanguis non profluat, Hyperaemia aliarum partium indeque vasorum rhexis et profluvium efficitur: ne minima quidem caussa commovemur ut maiorem minoremve sanguinis discrasiam accipiamus. —

Qui sanguinem esse pathica natura dicebant, morbos

cutaneos etiam, qui nonnunquam cum morbo illo coniuncti sunt, ad quos pertinet Impetigo, Prurigo, Acne, Eczema non solum ex eadem re proficisci, verum etiam eos morbi haemorrhoidalis genus esse principale existimabant. Ipsis autem sanguinis profluviis, quae vicaria vocantur, quibus pathicam inesse materiam demonstrare volebant, plane et perspicue adversariorum sententia repugnatur. Nam quum in Hyperaemia vasorum rhexis semper existat prorsus necesse non sit, sed multi status, vertigo, aurium susurrus et alii exoriri possunt: etiam si quid in cute subest morbi Hyperaemiâ quae dicitur vicaria explicari potest, ita ut sanguinem esse promiscuum nos putare non oporteat. Luculentius etiam, quod diximus, ostenditur eo, quod cutis in sanitatem restituitur, quum sanguis ex intestino recto profluere potest. Sicuti Haemorrhois ab aliis cum dyscrasia quadam haemorrhoidali conferebatur, ita comparabatur etiam cum alio morbo, qui vocatur: »Plethora abdominalis.« Quo verum nomine quum multa et contineri et putari possint neque minus medici, ut aegroti hominis conditio, quam bene cognoscere nequeant, significetur, utantur, non iam de eo disseremus, quoad illum morbum, qui contineatur, ex alius organi interioris, veluti cordis, pulmonum aegrotatione proficisci firma fide explanare possimus; accuratius tamen de ea re in Haemorrhoidis aetiologia et copiosius dicere recipimus. —

Cum Hennochio*) dicente, Haemorrhoidem in aliis hominibus alium apparere morbum consentimus et duo genera accipimus:

I. »Haemorrhois localis« non tam sanguinis mucique profluvio, quam varicibus, quae in ano reperiuntur stasique sanguinis venae portae, quae ad venas etiam intestini recti pertinet, dilucide cognoscitur, quod quidem in aetiologia diligentius explicabimus. —

---

*) Klinik der Unterleibskrankheiten von Eduard Hennoch pag. 280.

II. „Haemorrhois generalis“ non iam venectasis tantummodo localis apparet, verum etiam catarrhum membranae intestini recti mucosae certo tempore exacerbescentem efficit, quo et sanguis et mucus eiicitur, quem quidem catarrhum cum ceteris organis cohaerere molimina haemorrhoidalia, levamina, quae ex eo ipso, quod mucus et sanguis e corpore decedunt, oriuntur, Hyperaemia denique vicariae, quas fieri negari prorsus non potest, satis ostendunt. — Quod si prima, quam proposuimus, morbi specie homines per longum tempus detineantur, facillime in alteram incidere possunt. —

Sed haec hactenus, ad alteram dissertationis partem transeamus, ut de eis etiam, quae morbo haemorrhoidali sunt propria loquamur. —

Cap. II.

De momentis anatomicis.

Obscurum illud, quod morbo haemorrhoidali multis rationibus suffusum erat, neque hodie plane evanuit, prioribus aetatibus formationi etiam nodorum haemorrhoidalium anatomicae impendebat. Sententiae maxime variae vigebant aliisque demovebantur. Medicorum praestantissimo artisque medicinae Nestori, Hippocrati immortali summi tribuendi sunt honores, quod ipse primus formationem eorum anatomicam recte cognovit et exposuit. Primum tamen nonnullas veterrimorum medicorum sententias proponemus. —

Chaussier qui accuratissime eos tumores inquisivit et descripsit, ex eo deducit, quod sanguis e vase quodam parvo defluat. Eandem sententiam tuetur Cullen. Quam Echymosim aut resorberi, ita ut tumor evanescat, aut augeri quum caussae maneant, ita ut alii exoriantur et paullatim

proprie formentur, Chaussier existimat. In quibus tumoribus, si magis magisque creverint, sanguinem in capsula membranacea tenui inclusum esse reperimus, pars interior aut laevis aut aspera et villosa est. Montègre contra nulla vasa dirumpi, sed vas quoddam capillare extendi et capsulam formare probandum esse putat. Recamier nodos haemorrhoidales in cavis quibusdam constare seiunctis dicit, quam quidem sententiam prorsus falsam esse Iaubert luculenter exposuit. —

Recentiorum qui eos inquisiverunt, Carolus Rokitansky, vir anatomiae pathologicae peritissimus, veterrimam illam Hippocratis sententiam esse praeclarissimam explicavit. Nodos haemorrhoidales constare dicit in varicositate quadam venarum, quae multiplici ratione in extremo intestino recto inter se coniunctae sunt et sub membrana mucosa in textura cellulosa submucosa sitae orificium ani e coronae forma circumcingunt. Venae eae parvae plures minoresve augentur, tum nodos singulos aut nodorum seriem intumescentium formant quae elationes quasi puncti instar habere videantur, in dies autem magis accrescunt et fabae, quin etiam iuglandis magnitudinem consequuntur, quamquam intumescentes etiam evanescere possunt. Quod si nodi iterum ac saepius inflammati sunt, varices non iam deminuuntur, sed fere semper augentur. Structura nodorum haemorrhoidalium interior primo simplex, superfacies interna laevis atque rotunda est, postea magis curvatur et prorsus commutatur, quum in interiore parte sacculi cellulis similes formentur, quorum parietes sunt praetenues et nodis saepius inflammatis densiores fiunt et duriores. Quibus cum nodis sanguinis vasa coniuncta sunt, quum nonnullas venas tenues in eos influere et cute interiora nodi cavum induere videamus, ad ea etiam, quae circumsedent, nodi maxime valent, semperque fere arctissime in membrana intestini recti mucosa insiti statim postquam orti sunt, facile seiungi possunt a textu celluloso, qui idem, si longius connexus sit, in summam

venit iniectionem, quare fit, ut sanguis in faecibus exonerandis saepius ab ea parte, quam e varice dirupta defluat. Quum quod supra diximus varix etiam inflammari possit, inflammatione ea venarum cutes coalescere non raro videmus, sicuti obliteratio quoque et varix desertissima effici potest. Ut venarum lapides quaedam in varicibus haemorrhoidalibus formentur, minime saepe, sed raro fieri Rokitansky docet. —

Cap. III.

De diversis Haemorrhoidis gradibus atque generibus.

Quum omnes, quibus homines laborant, morbi, tum Haemorrhois multis, quae morbum proprium antecedunt, rebus indicatur. Aegroti homines cibum denegare solent et illud, quod ut vivant, edunt, raro conficitur et concoquitur, saepissime succos in acidum corrumpi videmus, eorum lingua testa, anima foetida, venter suppressus est; nonnunquam etiam, quum alvus per triduum quatriduumve restricta esset, faeces fiunt fluidae. Dum alvo restricta laborant, aegri homines animo sese esse semper sollicito dicunt, quod quidem se sentire putant inter umbilicum et ventriculum; intumescunt etiam hypochondria et inquirentes saepissime splenem magis minusve plenum, iecinoris tumorem et pulsationem reperimus epigastricam; color est subfuscus, pedes frigescunt, quum manus contra summo saepissime excitentur ardore; semper sunt male affecti et morosi, ita ut optime conferantur cum eis, qui malo hypochondriaco laborant. Qua morbi conditione homines per hebdomades nonnullas, quin etiam per annos detineri possunt, praesertim quum medici cura diligentiaque carere debeant, saepissime vero

accidit, ut aut brevi tempore convalescant, aut in alium morbum prorsus alienum incidant.

Verum enim vero nonnunquam homines eo morbo laborantes in statum aliquem ingrediuntur, in quo omnibus eis, quibus quasi indicatur morbus, non iam premuntur, sanitatem sese recepturos esse non putant, sed credunt; mox autem omni spe decedunt, dolores multo maiores et vehementiores ingruunt; alvus ita est restricta, ut aegroti gravissima in intestino recto inesse corpora existiment, quibus summus sibi ardor efficiatur neque minores inter regionem sacralem et pelvem sentiunt convulsiones. In exteriore intestini recti orificio aegroti fortissimo ardore vexantur; membrana mucosa pluribus in locis corii expers est, a cuius glandulis seiungitur materia quaedam foetida et glutinosa, quae quidem saepius ita cumulatur, ut revera intestini recti Blenorrhoea exoriatur, qua semper alvus quasi attrita videtur — »Intertrigo haemorrhoidalis.«

Ea morbi conditione, quam vocamus molimina haemorrhoidalia, si quis homo comprimatur, mox se bona valetudine gavisurum esse sperare potest; saepius autem fieri solet, ut maiores etiam dolores perpeti cogatur, ut convulsiones et ictus crebriores fiant, ut maiore, quam antea vexetur anxietate. Ad eas, quas commemoravimus res, quibus indicatur morbus accedit, ut urina rubra fiat et vesica summa tantum opera adhibita exonerari possit. Quod si in eo morbi statu medicus membranam mucosam accuratius inquirere studet, eam rubentem atque tumidam esse videbit; singuli vero membranae mucosae valde hyperaemicae loci et tinctu livido eminent vereque editi sunt, ita ut nonnunquam duobus; saepe quinque et sex lineis altiores sint, quam ceteri, qui quum accrescentes deprimantur, minores fiunt. Qui exoriuntur nodi, quum magni multique sint, ani orificium deminuunt, ita ut faeces, quae in alvi duritie satis forti excrementis densis et quasi compressis impletae, per ostium iam coangustatum vi exonerari debent, membranam mucosam dirum-

pant et maiorem minoremve sanguinis profusionem efficiant nodosque, qui eo, quod compressi sunt, magis etiam Hyperaemiae naturam acceperint, in alvi orificium dimoveant. Vehementissimis eo cruciari doloribus homines aegros, vix commemorare debemus. Quod si nodi magis magisque crescentes per sphinctrum includantur, facillime fieri potest, ut nodi adurantur et suppurent, unde quum alii morbi, tum ani fistulae proficiscuntur. Quare quum dolores valde augeantur, tum maximis et fere intolerabilibus aegri homines cruciantur doloribus, si testiculi et vagina morbo afficiantur et quocunque motu, fortiter euntes, tussientes aut faeces exonerantes doloribus tamquam furiis quibusdam torquentur et stimulantur, ita ut ad voluntariam mortem facillime propelli possint. Quamobrem Haemorrhoidis illud genus »Haemorrhoides furentes« nominatur. Neque raro ex eis nodis, qui et in ora sphinctri interni et in membrana intestini recti mucosa crescere possunt, magna sanguinis copia effluit, quod si fiat homines aquam tepidam aut flatus calidos per intestinum rectum emoveri sentiunt. Quo cum sanguine si materiae nocentes decesserint, et corporis dolores et animi sollicitudines allevati sunt, qua ipsa re Haemorrhoidibus fluentibus nomen inditum est: »aurea vena — güldene Ader«. — Quae quum ad aegrotationem veram minime pertineant, ne finire quidem eam, sed in maius minusve temporis spatium dimovere tantummodo possunt, quia nodi per eas magis magisque deminuuntur, mox autem rursus increscentes morbum reducunt.

Etiamsi ea, quae iam diximus, ad Haemorrhoidem intestini recti referenda sunt, tamen eadem morbi ratione vesica etiam et vagina affici possunt, maxime tamen, quum morbus in graviorem statum ingressus sit, quamquam non raro fit, ut, praesertim quum ex intestino recto constantes sanguinis profusiones non iam evadant, ad eas etiam partes transeant, quod quidem facillime potest explicari, quoniam arctissimo vinculo utriusque membri sanguinis vasa coniuncta

sunt. In Haemorrhoide, quae ad vesicam pertinet, venarum ramorum varicositates saepius in collo vesicae inveniuntur, nec non in eis, qui vesiculorum seminalium latera circumcingunt loci, in mulieribus etiam vesicae corporis venarum, vaginae et ligamentorum matris, quae dicuntur lata.

In omnibus eis Haemorrhoidis generibus magna sunt sanguinis profluvia, quae quidem tantummodo fiunt, si ex intestino recto sanguis non iam defluat.

Iam restat, ut de Blenorrhoea et vaginae et urctrae virilis nonnulla dicamus, quibus saepissime homines laborant, quamquam medici, quum homines aegroti ea profluvia concubitu profecta esse negent, Haemorrhoide exorta esse existimant.

Quibus morbis si vir laborat, uretrae, si mulier, vaginae glandulae sunt affectae, e quibus quae secretiones effluere solent, mucum continent subviridem, aeque tamen atque in ano, sanguine commixtae esse possunt.

Cap. IV.

De Aetiologia.

Quamquam homines morbo haemorrhoidali aegrotos, si inquirentes conditionem caussam sedemque primarium cognoscere non possimus, Haemorrhoide hereditali laborare, minime licet iudicare, tamen morbum eum a parentibus propagari multisque gentibus insitum innatumque esse negari non potest. Haemorrhoide hereditali qui homines opprimuntur, semper fere aetate sunt virili, inter annos viginti sex et quinquaginta, quamquam vero aetatem et iuvenilem et puerilem ea non posse affici non dicimus. Quo morbo hereditali saepissime Israelitae laborare dicuntur, quia e Neumannii sententia allio caepaque omnium maxime fruuntur. Veram caussam, ex qua hominibus quibusdam Haemorrhoi-

dem insitam esse intelligere liceat, nemo adhuc indagavit. Eos, quos futuro morbo haemorrhoidali laboraturos esse praevidere possumus, aetate iuvenili vexari sanguinis profluvio e naribus, postea Haemoptysi idem Neumannius existimat, quam quidem sententiam iam veterrimi medici saepissime consideraverunt. Stahl et Vogel sexum virilem ad Haemorrhoidem inclinare dicunt, quum Cullen, Bosquillon, Gendrin, Schoenlein sexum muliebrem morbo illi magis expositum esse putent, quarum priori quidem sententiae minor fides tribuenda esse videtur, quia in mulieribus pelvis Plethora multo facilius menstruatione amoveri potest.

Quum in omnibus fere terrae partibus Haemorrhoide qui detineantur, reperiri possunt, tum in Graecia et in Asia eorum numerum, qui Haemorrhoide opprimuntur, non minorem esse, quam menstruorum apud nos Boerhave dicit; neque minus Italos, praesertim Neapolitanos et Venetos morbo haemorrhoidali contristari Iansen exprobavit, Polonorum vero et Lithauensium, quorum plerosque Israelitas esse constat, quintum quemque tantummodo ab eo liberari Schulze docet.

Multi medici in eo morbo genium epidemicum, inprimis in constitutione nervose-gastrica, perspicuum esse observaverunt, quum contra in constitutione inflammatoria defectio quaedam cognita sit.

Quo maxime vero et saepissime Haemorrhois exoritur, quin sit in singulorum vivendi ratione positum, non iam in dubium vocatur.

Ne eum quidem medicum, qui cum diligentia curaque necessaria non inquirit, effugere potest, eos omnium primos Haemorrhoidis morbo conflictari, quos aut studium aut vivendi ratio, ut prono corpore sedant, condemnavit; eos contra, qui in coelo saluberrimo se moventes labori vacant, multo rarius in eum incidere.

Maxime etiam valere nutrimenta, praesertim ea, quae

nervos excitant, inflationes parent, ad concoquendum difficilia sunt, nemo refutare potest.

Arctiores quae sunt dissertationis nostrae fines, iam de eis disseremus rebus, quae primae morbo affectae, Haemorrhoidem excipere solent.

Primum tamen nonnullos incessu erecto, quum gravitatis legum ratio habeatur, facillime intestini recti nervorum Ectasin posse effici dicere adiicimus *). Quod si ita esset, in dubium vocari non potest, quin in perfecta et vera sanitate partium extremarum venae intumescant, quod quidem prorsus non fieri confirmare licet; illud tum tantum evenit, quum vena portae in aliquo loco impediatur, aeque acsi intestini recti venae in morbo haemorrhoidali varicose dilatentur.

Quibus potissimum organis eae venae consistere possint, brevi exponemus.

A. De »corde« membro corporis principali primum disseremus. Quod si corde quasi fonte et caussa, qua toti corpori sanguis adtribuitur, quascunque perturbationes, quibus cordis aut temperatio aut machinatio afficitur, ad totum sanguinis cursum pertinere et valere consideramus, eorum qui cordis dextri praecipue vitiis detinentur, hominum venam portae cursu impeditam esse luculentissime intelligimus, quae quidem omnes venas sibi adiunctas perturbare solet. Caussas, quibus sanguis difficillime in cor dextrum influat, inquirere longum est; ad ea, quae in compendiis de cordis morbis exposita sunt, delegare debemus; sed quî fiat, paucis explicare studeamus.

Si venarum sanguis in atrium vel in ventriculum cordis dextrum facile non iam influit, primum quum interior vena cava adimpleta sit, non solum in iecinoris venis, verum etiam in vena portarum hepatis stasis existat necesse est, qua totus venae portarum cursus et vasa haemorrhoidalia

---

*) Hennoch, l. c. p. 270.

sistant oportet. Quum vero venae haemorrhoidales externae cum venis cavae inferioris arctissime sint coniunctae, eae etiam dilatantur, quare varices haemorrhoidales saepius inveniri facillime explicari potest.

B. „Pulmones“ quum afficiantur Cirrhosi, Hepatisatione, Tuberculosi, Emphysemate, tum per vasa capillaria, tum per carnificationem Parenchymatis capillariumque vasorum aut defectionem in corde dextro sanguinis stasis efficitur, quae eandem, quam supra vim ad vasa haemorrhoidalia habet.

C. Inter multos morbos, quibus „hepar“ afficitur venaeque portarum systema consistere solet, Cirrhosi hepati potissimum multa conferuntur, ut Haemorrhois exoriatur. In ea etiam conditione, in qua venae portarum truncus obturatus est aut venae hepaticae, saepissime ex ea ipsa re Haemorrhoidem profectam esse observare licet.

Ea, quae brevi commemoravimus, gravissima sunt Haemorrhoidis aetiologica, quae membrorum interiorum morbis exorta est. Iam restat ut de aliis multis loquamur caussis, quibus saepissime homines Haemorrhoide afficiuntur, quarum prima nominanda est impermeabilitas venae cavae inferioris aut venae mesentericae inferioris. Impermeabilitas ea tum per tumores, qui circum venas eas exculti, premunt illas, tum per glandulas retroperitoneales, per organa morbo degenerata, per tumores splenis, ut exemplum afferam, existere potest. Quum vero, quod satis ex Anatomia cognovimus, inter venas haemorrhoidales et venam cavam inferiorem, sit Anastomosia quaedam, varices fiant oportere, facillime efficitur.

Huc pertinent nodi haemorrhoidales, qui certo tempore crescunt, quod quidem in graviditate nonnullarum mulierum saepius reperimus.

Paucis etiam dicendum est de eis, qui semper fere alvo restricta laborant. In eis hominum corporibus, qui alvum habent restrictam, earum, quae praeter intestina currunt et

firma rigidaque columna faecali comprimantur, venarum cursum consistere intelligimus, qua re inferiores etiam in supremo intestino recto venae perturbantur et varicositates producuntur.

Quod iam supra commemoravimus, ei potissimum homines, qui studio vivendique ratione, ut prono corpore sedeant coguntur, alvo restricta indeque morbo haemorrhoidali laborant, in quorum numero referendi sunt praecipue homines docti, magistratus, vestitores, sutores multique alii.

Cap. V.

De Diagnosi et Prognosi.

Quamquam facile fieri nequeat, ut medicus qui accurate diligenterque caussas inquirit, quibus aegrotus Haemorrhoidem sibi consciverit, morbum eum non cognoscat, tamen plerisque rebus is, qui satis magna cura diligentiaque non indagat, ut in Diagnosi peccet adducitur. Ad ea peccata Diagnosis saepissime nonnullis intestini recti morbis, qui vocantur, localibus, quos quidem non satis accurate inquirens nodos esse haemorrhoidales existimare potest, commovetur. In eorum numero praecipue habenda sunt tum syphilitica quaedam excrescentia, quae nomen habent »Condylomata«, tum carcinomatosae intestini recti aegritudines. In tali permutatione quam tristia, quae sequantur, Therapia aegroto efficere possit et certissime saepius effecerit, longius explanare non iam opus est. Paucis ea, quibus in Diagnosi omni errore carere possimus, adiumenta exponemus.

Ne nodos haemorrhoidales cum condylomatibus confundamus, primum accuratius inquirendum est, num Excrescentia syphilitica inesse possint, tum Punctio explorativa adhibenda est aut acu tenui aut eo instrumento, quod vocamus: »Explorativtroikart«. Qua inquisitione quasi manuali facta

cetera etiam organa diligentissime inspicienda sunt, ea praesertim, quae quum affecta sint, facillime Haemorrhoidem excipere solent. Utroque siquis utitur adiumento, omnis erroris et confusionis expers erit. Neque deformationes carcinomatosae cum nodis haemorrhoidalibus permutari possunt, quam hi saepissime eis non dissimiles esse videntur, quia tum ichore cancroso proprie foetido, tum quae sit totius aegroti corporis conditio accurate inquirentes, ut statim necessaria cognoscamus inducimur. Eos enim homines qui carcinomatibus contristantur toto corpore laborare et Cachexim corporis generalem exoriri satis notum est, ita ut facillime Haemorrhoidarios ab eis seiungere possimus. Neque minus ex ea ratione, qua tumores illi exsistant, ut recte aegroti statum perspiciamus, praebentur adiumenta. Quo facilius sanguinis profluvia haemorrhoidalia ab aliis dicernamus, quae nonnullos morbos, exempli gratia, ventriculi tumores chronicos consequi solent, sanguinem, qui in illis eiicitur semper fere rufum esse, guttatim aut copiose simul cum faecibus vel post eas effluere, nunquam vero multum largumque cum eis esse promiscuum dicimus, quod quidem in dysenteria videre licet. Praeterea quum sanguis, qui saepius in ventriculi ulceribus chronicis per anum defluit, niger esse videatur in eoque morbo catarrhi ventriculi chronici symptomata et frequentis vomitus sint perspicua, quominus confundamus eas cum profluviis haemorrhoidalibus satis prohibemur.

Verum non solum Diagnosim accurate conservemus oportet, sed etiam Prognosis maxima cura adhibenda est.

Quoad vitam Haemorrhois non temere periculosa ducenda est, quum saepissime nobis persuadere possimus, homines eo morbo laborantes maxime aetate provehi, quamquam vero, quae est aegroti conditio, nonnunquam vitae perniciosam fieri non posse nequaquam dicimus, praesertim quum aliae complicationes eis adiungantur, quum nodi suppurent, ut exemplum afferam, quod aut Peritonitide aut sanguinis profluviis interioribus fieri solet. Quod si Hae-

morrhois cordis aut pulmonum aut hepatis morbos consecuta sit, Prognosim valde dubiam, accuratam vero prorsus non esse, praesertim quum ea organa maxime deformata sint, luculentissime intelligitur. Neque minus facile in tali conditione non tam eis, quae Haemorrhoidem, quam eis, quae morbum primarium consecuta sint, aegrotos interire cognovimus. Si morbus, quo Haemorrhois profecta est, medici cura allevari possit, Prognosim multo accuratiorem faustioremque capere licet, ita ut si artis adiumenta adhibeantur, prosperrime saepius procedamus.

Cap. VI.

De Therapia.

In Therapia Haemorrhoidis primum omnium accuratissime inquirendum est, quonam genere nobis agendum, utrum Haemorrhois generalis an localis sit, persuasum habeamus necesse est. Quod si, ut illud simul commemoremus, cor, pulmones, hepar primario morbo affecta sunt, ad eos morbos summa vis habenda est, semper fere therapiam generalem cum locali, quae vocatur, coniungamus oportet.

Primum tractationem diaeteticam in memoriam revocandum nobis esse putamus, quia nonnunquam morbum accrescentem levari ea, saepissime vero, quae perniciosa sequi possent, quamquam non praecavebantur, tamen moderata esse negari non potest. Quae cura diatetica nobis bipartita esse videtur, prima ad nutrimenta, altera ad praecepta generalia referenda est. Nutrimenta summa cum diligentia eligenda esse nemo non comprobabit; sed ea etiam, quae aegroto praeberi licitum est, ut moderatissime edantur praecipiendum est, quum continentiam et temperantiam maxime omnium commendemus. Omnibus autem Haemorrhoidariis

potus excitantes et moventes, praecipue liquores acriores, vina, coffea, thea, nequaquam concedendi sunt.

Quidnam bibant aegroti, alii alia praecipiunt. Nonnulli in eis terrae partibus, in quibus cerevisiam plerique bibunt, vinum commendant, in quibus vino maxime homines fruuntur, cerevisiam praecipiunt; moderate tamen bibere aegrotos, omnes consentiunt. De vino bibendo medici in contrarias discedunt partes, ita ut non facile in unam sententiam adducantur. Schoenlein aegrotos Germaniae vinis frui non vult, ex ea caussa ductus, quod acidum in eis praevaleat, neque Franco-Galliae, quod acidum tannicum in eis sit copiosius; minime perniciosa esse dicit, Franco-Galliae quae sint dulcia et externa vina. At prorsus contrarium putat Neumannius, qui ipsa vina acida ut Haemorrhoidarii bibant praecipit, quum vinum Moselleum duos annos natum commendet eoque quod plerique fruantur in sua patria haemorrhoidarios nusquam reperiri alibique aegrotos eodem ipso vino sanitatem recepisse dicat. Nostra quidem sententia, qualia aegroti bibant vina, spectat illud, ut levia vina, quocunque loco crescant, nunquam perniciosa esse dicamus, dummodo modus quidam teneatur, aquam tamen, quae corpori saluberrima sit, aegrotis dare praeferimus.

Qualia sint nutrimenta, ex quacunque corporis constitutione pendet; eis, qui plethora laborant, hominibus fortia carnis genera, cibos inflantes et alia praebere maximum esset vitium; carnes ad concoquendum facillimos, quos albos vocare solemus, olera levia, lactentia, iura omnino invalida bona fide praebere licet, quum aegrotis contra infirmis et anaemia laborantibus cibos validos et fortes commendare nunquam negligamus. Nunquam tamen aegrotis neque firmis neque infirmis se iniurgitare licere, quum temperantiam regulam statuerimus principalem, iam satis exposuimus.

In vitae ratione etiam quae sint observanda dicimus. Maximi est momenti, si domus aegroti hominis ita eligi possit, ut sicca, aeri exposita et si fieri licet in solem sita

sit; quo facilius aër semper purus et integer maneat, fenestrae saepius aperiantur oportet. Quod si homines ut sedeant, studiis laboribusque coguntur, quotidie saepius se movere debent eisque, qui rei familiaris copiis abundant, ut itinera faciant, suadendum est, aestate in Helvetiam, hieme in Italiam; eorum tamen, quibus laborum caussa ne ambulare quidem quotidie licet, quod quidem hominibus pauperioribus semper fere denegatum esse querendum est, eorum, inquam, consuetudines ordinare medicos oportet.

In cubilibus ut iaceant calidioribus, praesertim ad ipsum mane, nunquam concedere debent; simplex cubile sit oportet, compositum e fundamento duriusculo, e strato videlicet, pilo equino facto; neque tegumenta gravia sint necesse est; lanosum quoddam et molle maxime idoneum.

Ad sedendum nunquam sellis stratis utantur aegroti; sella potius consistat e tabula simplici perforata; optime adhibentur sellae arundineae.

Neque desunt formae, secundum quas eae construantur: Montègre pulvinar commendat, pilo equino fartum, quod medium convexum corioque laevi obtectum sit. Aegrotis, qui iam nodos habent, Nasse*) sellam propriam praecepit.

In laboribus aegroti prono corpore minime sedeant; ut aut stantes, aut in alta sella sedentes labori vacent, maxime suadendum est, eis imprimis, qui multa scribunt, studiosissime commendamus.

Vestimenta sibi induant aegroti, alia aestate, alia hieme; ne pedes frigescant, summa cura adhibenda est; ea, quae aliquo loco corpus premunt sanguinisque cursum impediunt, vestimenta refellenda sunt.

Secretionum etiam et Excretionum medico ratio est habenda; quum Haemorrhoidarios ad alvum restrictam inclinare eaque rursus ipsum morbum augeri satis notum sit, ut intestina talia sint, qualia esse debent, videndum est,

*) Nasse in Horn's Archiv 1834, Januar, Februar. S. 4.

quod quidem saepe numero iam tractatione diaetetica si bene observetur, efficitur.

Aegroti mane quotidie aquae copiam quandam bibant et olera levia arborumque baccas edant coctas. Quibus adiumentis diaeteticis si non efficitur, ut ordinarie faeces exonerentur, alia adhibemus; aegrotis interdum Clysma praebeatur frigidum, quo quidem saepius illud consequimur, uti vero, quum nodi satis magnos excitent dolores, saepius non possumus.

Medicamenta etiam multa, quae vocantur „Antihaemorrhoidalia“ cognovimus, quae omnia illud unum spectant, ut per intestina purgatio lenis fiat et constans. Primum omnium commemoramus illud, quod a multis medicis tamquam specificum laudatur, „Sulphur“. Quamquam vero illud prorsus esse invalidum dicere debemus, tamen multa eximia eo perficiuntur. Optime coniungitur cum partibus aequalibus

1. Tartari depurati
2. Elaeosacchari anisi.

Lebert *) eis, qui Dyspepsia laborant, hominibus quinque grana Magnesiae ustae pro dosi adiicienda esse existimat. Quod si aegrotus pulverem eum medicatum per diuturnum tempus sumpserit atque taedium capiat, Rheum praecipiendum est cum Aloe pilularum forma commixtum et vespere una vel duae praebeantur pilulae, quae continent

Aloës,
Extr. Rhei,
Pulv. rad. Rhei āā granum unum.

Quo adiumento tum tantum utimur, quum alvo restricta constanter laborant homines, quod si non est, ea interdum tantummodo praeberi posse intelligimus.

Si alvus fortiter sit restricta, praeter ea, quae vespere sumit aegrotus, tempore quod sequitur matutino aquam bibat amaram, quamquam ne semper ea medicamenta cathar-

---

*) Lebert in Virchow's Pathologie und Therapie. Band V. 2.

tica salaria sibi eligant dehortamur, quum corpus facillime ad ea assuescat et invalida efficiat.

Dignus, qui commendetur, serorum etiam uvarumque usus, praesertim quum una homines aegri aëre fruantur saluberrimo, ita ut saepissime vires refoveantur.

Imprimis Helvetiae nonnulli loci in vulgo summis laudibus efferuntur, qui quasi depellere possint, Haemorrhoidem.

Magna neque minus commemoranda ratio habenda est, quonammodo Haemorrhoidis Paroxysmi tractentur.

Molimina quae vocantur haemorrhoidalia tractationem postulant symptomaticam.

Ut recta Paroxysmorum cura sit, Montègre in hominibus firmis et plethoricis unam vel duas venae sectiones facere suadet. Lebert illud, quod Montègre proposuit maxime laudat et comprobat dicens, multo melius illud esse, quam hirudines medicinales, quas multi quidem praeferunt, ad anum adhibere aut cucurbitulis uti ad regionem sacralem. Doloribus si homo cruciatur vehementibus, et venae sectione, quam nunquam negligit, utitur et duodecim quindecimve hirudines medicinales circum ani orificium ut ponantur curat, quaquidem in re videndum est, ne in venas intumescentes se insugeant.

Ut dolores, qui e nodis haemorrhoidalibus exoriuntur, leniantur, quum variis utamur adiumentis, tum spongiam, quae in opio aquae soluto satis exiguae consistentiae intincta est, ad anum applicamus.

In Britannia, quod Buchan invenit adiumentum valde laudatur et adhibetur:

R/. Ungt. popul. ℥ II
Laudan. ℥ β
Vitell. ovi Nro. II.

Quo quidem lintea aut lintea carpta illinuntur et in eis nodis vehementer dolentibus ponuntur, quomodo Buchan brevissimo tempore dolores deminutos esse se vidisse dicit.

E multis aliis, quae exstant ea etiam, quae Ward et Burne composuerunt adiumenta nominamus.

Sunt etiam, qui quum omnibus eis remediis nihil efficiatur, cultro utantur nodosque percutiant. Mea quidem sententia cum Leberto consentire debemus, qui tum tantum ad illud descendit, quum nodi inclusi sunt neque repositio fieri potest.

De repositione nodorum haemorrhoidalium, quam commemoravimus, haecce valent regulae:

Quam operationem si adhibere volumus, aegrotus ita latere innisus iaceat, ut uno pede extenso, alter flexus sit aut ita ventre iaceat in cubili ut crura extensa solum tangant leniter quidem, sed constanter, nunquam vehementer nodi, ut emoveantur, comprimi debent. Quod si tumor reductus sit, ne rursus eveniat, praecavendum est, quod quidem optime spongia in opio intincta succedit, quam ad orificium ani admittimus; si tumor non evanescat, ne tum quidem sphincter percutiendus est, quod quidem multi proponunt, sed nodos cultro exoneremus oportet.

Makenzie et Copland ad inferiores nodos emovendos ut Cereola aut Conus eburneus in intestinum rectum interponatur, commendaverunt, quare nodos compressos extingui putant.

Ad Chirurgiam delegamus, quum copiosius illud describere longum sit.

Nodi haemorrhoidales si gangraenosi fiant, quam maxime crustam removere medicos et ut suppurent, adiumentis efficere idoneis necesse est.

Ad sanguinis profluvia haemorrhoidalia transeamus paucisque exponamus, quanam ratione eae sint tractandae. Antea plerique corpori inesse quoddam, quo in Haemorrhoide omnia nocitura et inutilia ex eo decedant, quum putarent, veteriores medici saepissime inducti sunt, ut in eis hominibus haemorrhoidalia sanguinis profluvia consulto excitarent, qui

quum vires iam debilitatae prorsus conficerentur, morti cedere debebant.

Nimirum hodie quum ars medicinae bene processerit, non facile illud eveniet, nisi quum sanguinis intestini recti profluvia haemorrhoidalia, quae certo tempore recurrebant, subito sistant indique congestiones ad alia organa, vitae perniciosissimae excitentur, eas profusiones reducere iubemur. Quod si ita sese res habeat, medico summa vis habenda est, ut remediis artificiosis priorem illam sanguinis profusionem efficiat. Ad evocanda fluentia haemorrhoidalia quae maxime commendantur adiumenta, talia esse oportet, quae membranam intestini recti mucosam venas que sub ea currentes, in tantas congestiones coniiciant, ut vasorum sanguine distentorum ruptura, ut sanguinis fluxus perficiatur; validissima, quae cognoverimus, proponamus:

I. Primum huc pertinent sanguinis profusiones infra anum, veluti venaesectio in pede, hirudinum nonnullarum medicinalium ad anum applicatio, cucurbitulae, quae sive cruentae sive incruentae interiori femoris superficiei admittuntur. Quibus rebus quum sanguinis copia quaedam decedat, ut celerius fortiusque sanguis et in infimas corporis partes et in pelvis organa influat efficitur.

II. Balnea calida, pedum lavationes, vaporationes. — Vaporis etiam calidi iniectiones in intestinum rectum adhibitae sunt. Trousseau *) proponit suppositoria, ad quae

R/. Butyri Cacao unciam unam
Tartari stib. 2—6 gr.,

quae quidem in anum inducuntur ibique quoad lique faciant, manent.

III. Pellentia denique, quae eadem fortiter sanguinem in intestini recti vasa propellere solere sumus experti. Huc referendum est Sulphur et praecipue Drastica validiora, ut Aloe, quae quidem optime Clysmatis forma adhibentur.

---

*) Trosseau, Journal des connais. méd. chirurg. IV, 101.

Verum enimvero semper omnibus eis remediis prospere non succedimus; sanguinis profusio aut prorsus non consequitur, aut minima fit, nonnunquam etiam fortior, ut stypticis opus sit, nunquam vero medicum praestantissimum remedia pro tempore et pro re delecta deficient.

Qui dissertationem meam legunt, aqua potissimum quae aeris particulas contineat, morbum eum allevari posse permultos putavisse et putare non ignorabunt. Imprimis Schoenlein copiosius illud explicavit brevique in conspectu posuit, quod autem huc non pertinet. Eis qui accuratius id cognoscere volunt, praestantissimum illum Canstattii *) librum, quo omnes aquae salubres earumque indicationes continentur commendamus.

In hac parte, qua de Therapia agitur, paucis etiam quum interiorem Haemorrhoidis fractationem absolverimus, de chirurgia dicendum est, cuius nonnulla iam supra, si occasio oblata fuerit, exponere debebamus.

Nonnunquam enim, quum tumores haemorrhoidales latissime pateant atque vehementissimos excitent dolores, fieri prorsus non potest, ut interioribus remediis, quae quum plurimum auxilium palliativum perficiunt, aegrotos a morbo liberetur sed ars chirurgica adhibenda est.

Quas vero operationes, quum nequaquam non perniciosae sint, gravissimis tantummodo caussis, ut adhibeamus, commoveri debemus. Quas quidem caussas unus quisque medicus eruditus inquiret et cognoscet et illud unum dicamus, primum chronicam partium circumstantium inflammationem, praesertim quum nodi maxime sint editi, tum sanguinis profusionem, ut ita dicam habitualem, quum si comprimatur, maiora faccillime mala consequi possint, semper contraindicationes nobis esse oportere, ut operatione ea non utamur.

---

*) Canstatt's spec. Pathologie et Therapie. Dritte Auflage, herausgegeben von Dr. E. H. Hennoch, Erlangen 1855. II. S. 82.

In ea, quam ultimam commemoravimus, conditione, Hippocrates, ut emoventes nodos unum conservemus, suasit.

Tres omnino tractandi rationes prospero successu adhibere licet:

1. Cauterisatione,
2. Ligatura,
3. instrumentis percutientibus uti possumus.

Antea plerique primam admovebant rationem, nostra vero aetate negligunt. Ligaturam, quam Hippocrates etiam cognoverat, Britanniae medici maxime prosperrimeque exercebant, quae operatio, imprimis si nodi pedunculati sunt, praestantissima omnibusque praeferanda est. Unum illud reprehendimus, quod vehementissimi excitantur dolores, quibus quidem quum Chloroformylo utamur, detineri non iam possumus. Alia quae dicenda sunt, in arte chirurgica cognoscimus, ad quam delegare debemus.

Instrumentis percutientibus, quae ab Alexandrinicis qui vocantur, chirurgiae peritis admovebantur, Franco-Galliae medici hodie etiam utuntur, quum Britannici Ligaturam praeferant, quam quidem Dieffenbach, ut antea multi praedicat; nodos verum interiores, qui maxime sint editi, filis nonnullis, priusquam percutiantur, interscindendos esse existimat, ut eis filis singulae tumoris partes subligari possint. Ne postea sanguinis fiant profluvia, ut styptica semper sint parata, summo emolumento est, quum tales profusiones nequaquam rarae sint.

Vita.

Natus sum Carolus Haun Castris veteribus die V mensis Aprilis anni MDCCCXXXV, patre Carolo, medico practico, matre Carolina, e gente Clemens. Patrem dilectissimum mihi morte ereptum maxime lugeo, matrem adhuc in vivis esse valde laetor. Fidem confiteor evangelicam.

Primis literarum elementis imbutus gymnasium Marcoduranum adii. Examine abiturientium superato, quum per aliquos menses artem pharmaceuticam factitassem, mensi Octobr. LV Berolinum petii, ibique in academiam medico-chirurgicam militarem, decano t. t. spectatissimo G. Mitscherlich, viro praestantissimo maxime florentem, receptus sum. Auctumno a. h. s. LVI hanc almam literarum sedem petii et ab Ill. Deiters, rectore magnifico, in civium academicorum numerum receptus, apud Ill. Wutzer, ordinis medicorum t. t. decanum spectatissimum nomen professus sum.

In gymnasio directore Meiring, viro illustrissimo praeceptores habui: Elvenich, Esser, Hagen, Klein, Rheinhardt, Ritzefeld, Spengler alios.

Berolini scholis interfui virorum illustrissimorum: Braun, Dove, Lichtenstein, E. Mitscherlich, I. Müller, Schlemm, Schultz-Schultzenstein, Werder.

Bonnae: Albers, Busch, Helmholtz, Kilian, Naumann, C. O. Weber, M. I. Weber, Wutzer.

Quibus viris omnibus, maxime de me meritis, imprimis Busch, cuius in clinico secundi assistentis locum per annum obtinui, gratias habeo maximas, semperque habebo.

Theses.

I. *In Haemorrhoide nihil pathici e corpore eliminitur.*

II. *In iritide vehementi formatio pupillae artificialis optimum est remedium.*

III. *Equitare sexui muliebri nocet.*

IV. *In sectione caesarea chloroformii narcosis non est adhibenda.*

V. *Medicus ipse medicamen.*